



DE
PALINODIA FANATICORVM
SCHEDIASMA.

§. I.



Tudio veritatis homini nihil debet esse prius, nihil posterius. Ideo enim, quae Numinis est benignitas, eam mens accepit facultatem, quae veritati, ex rebus erundae, sua inservire praestantia, potest. Sane quotquot Scepticismo indulgent, aut, veritate susque deque habita, errores sequuntur, illi mentis bonitatem, vel ignorare penitus, vel studio suppressimere, censendi sunt. Nam quamvis negare nolim, multis intellectum obnoxium esse vitiis, quae eundem, veritati inveniendae intentum, morantur, aut in praecipitia abducunt, ita tamen ille se habet, ut in melius mutari, & emendationis, quantum satis est, consequi possit. Qua, vt ego arbitror, ratione, contrarias inter Cartesianorum & Fanaticorum, quibus & Poiretus ad stipulatur, sententias, medium tenemus, quod nisi presso teneatur, vel in nimiam confidentiam, vel diffidentiam proni ruimus, quarum utraque quantum veritati inveniendae dampnum afferat, & detrimentum, dici profecto nequit.

§. II. Quae si ab uno quovis, pro eo, ac par est, observarentur, minus foret in divinis, humanisque, scientiis errorum. Nemo in sequiorem acciperet partem, si meliora

A

ab